

ORATIO

AD SALMANTICENSEM ACADEMIAM

HABITA

XV. KALEND. NOVEMBRIS

ANN. D^NI. MDCCCXXXIX.

A

RAYMUNDO NIETO, DOCTORE THEOLOGO.

b16650657

ORATIO

*Non quaero rationes eas, quae ex
coniectura pendent, quae disputationibus
huc et illuc trahuntur, nullam adhibent
persuadendi necessitatem.*

Cic. Lucull.

ANN. DNI MDCCLXXXIX.



RAYMUNDO NIETO, DOCTOR THESOZO.



Si quantum operaे plerique omnes
qui Philosophiae nomine gloria-
tur, in disputandis prave conceptis
aliorum opinionibus prorsus inani-
ter consumpsere, tantum laboris, et
solertis industriae in rimanda, ac
perspicienda disciplinarum natura
collocassent, iam pene omni erro-

rum fonte defoecato A. O. Philosophia locupletiori cognitionum suppellectili ditata, aptior etiam esset ex felici exercitatione ad novos progressus in dies ostentandos. Verum cum inventores doctrinarum non tam id consilii ceperint, ut penitus discussio, atque perspecto cognoscendi artificio, disciplinas ad naturae normam, ^{et} quasi vocem revocarent; quam ut statim earumdem aedificium struerent ex placitis, atque dogmatibus, quae ductu coeco, ac temere vitae iusus invexerat; pessima iam ab initio obtinuit philosophandi regula: quae cum à renatis litteris

ris late quoque dominata fuerit, praeclara haud raro ingenia pessumdet: atque ita effectum est, ut à quibus philosophia plus emolumenti, atque auxilii suo quasi iure debebat expectare, ab iis clades acceperit infestissimas.

Cum enim mentis opus non conjectando, sed observando, atque experiendo perficiatur, aerior ingenii vis parum laboris sustinens, et morae impatiens maluit fingere, quam diu intueri, ac contemplari. Hinc in rebus etiam physicis, quarum via planior erat, atque expeditior, veteres nugas tot excepere hypothe-

seon portenta, vix non dicam Poe-
 tarum commentis, sed ne aegrotan-
 tium quidem somnis comparanda.
 Exoleta fere iam sunt, et Physice
 ab hac saece repurgata proprias amat
 opes, sua novit ornamenta, eaque
 probans, quae rerum usu didicit, re-
 liqua tamquam spuria aspernatur.
 Utinam et reliquis Philosophiae par-
 tibus, prout humano subiacent in-
 genio, aequa sors obtigisset, nec tot
 manerent pristinae aberrationis ves-
 tigia!
 Cum vero ad ea delenda, et ad
 sanum quemdam vigorem scientiis
 conciliandum plurimum omnium iu-

dicio ars illa conferat, qua ad coe-
 teras perdiscendas iuvenilis aetas so-
 let imbui, Logice nempe, quae à
 Tullio ars omnium artium maxi-
 ma praedicatur, nos tamen eamdem,
 qualis vulgo traditur, parum dig-
 nam ducimus tantis laudibus, ut
 pote quae muneri suo praecipuo de-
 sit, multaque agendo, nihil fere agat
 eorum, quae sibi erant proponenda.
 Dumque ea de re parva quidem, et
 exili, sed apprimè necessaria dici-
 mus, vos obsecro, et rogo A. O. ut
 benignitate vestra, et audiendi faci-
 litate nostri ingenii tenuitatem su-
 blevelis.

Logicem certe, cuius praecipuum
munus, et officium in eo con-
sistit, ut veritatem ex notis, et cha-
racteribus certis diiudicet, sic ple-
rumque edocemur, ut si spinetis illi-
us decursis auditores de veritate roges,
mirum ni hanc sibi penitus ignotam
esse fateantur. Non solum abundat
Logice, sed etiam scatet minutis praec-
ceptionibus, quae ut verae sint, ad
rationem efformandam nihilo magis
faciunt, quam ad incessum gravem,
et modestum praecepta saltandi. Et ne
singula percenseam, quoniam tanta

adest in hocce eruditissimorum hominum possessus eorum copia, qui egregiam, et sedulam artibus, et disciplinis operam navarunt, ipsorum imploro fidem. Dicent i profecto se numquam, nec cum ipsis vacarent, ad praecelta illa respexisse, quo aut in negotio decernerent, aut in quaestione disceptata, liquet, vel se eus pronuntiarent. Quid si horum praceptorum, vel in ipso pulvere Scholarum, tam exigua utilitas ostenditur, alia menti, rationique comparanda erunt subsidia, quibus opus suum, quantum natura fert, sin minus perficiat, rectius saltem prosee-

quatur. Haec vero non aliunde pente-
tenda, sed in bene multis, quae ra-
tio ipsa ductu, et stimulis naturae
efficit, quaerenda, et invenienda sunt.
Quis non, etsi nulli seu arti, seu disci-
plinae aurem accommodarit, plurima
diligenter, et considerate excogitavit,
ratiocinatus est, optimeque conclusit?
Quis in quem errorem inciderat non
saepius agnovit? His igitur utendum
naturae monitis, eo ei respiciendum
contendimus, qui veram velit nosse
Logicem, rationis institutricem, ex-
pultricemque errorum: se ipsam
mens discutiat oportet, atque inves-
tiget, quae, et unde sint ipsi cogni-

tionum elementa, quas vires his elab-
orandis adhibeat, et quomodo, et
quibus utatur quasi instrumentis. Ne-
que enim quod in reliquis artibus
maxime spectatur, id in ea, quae
caeteras armat, et instruit, erit ne-
gligendum.

Nec me fugit solerter nonnullo-
rum industriad non minimum in
hac Philosophiae parte profecisse; ve-
rum cum praecclare ab illis excogi-
tata, atque inventa non ita apud om-
nes sint pervulgata, et omnibus fa-
miliaria, ut publici saporis evase-
rint, nec fructus, quem inde spe-
rare fas erat, in adolescentium insti-

tutionem redundavit. Erunt etiam
fortasse nonnulli, qui perabsurdum,
nendum ineptum iudicent à novitiis
nescio quibus Philosophiae adseclis
quidquam expectare in hac præser-
tim disciplina, iquae in ratione in-
formanda versatur, quod non sub-
tilius inventum, aptiusque disposi-
tum summa cum perspicuitate tra-
diderint veteres illi cum Graeci, tum
Romani, ad quorum exemplar si qui
ita properant, ut proxime videantur
accedere, clarissimi penes omnes, at-
que in summo pretio habentur. Acer-
rimumne, inquiet, veritatis iudici-
um illis deneges, qui tam sapienter

omnem vitae rationem descripsérunt,
quibus acceptam debemus summam
cum iuris civilis, tum rei militaris
prudentiam? Quorum tot extant his-
toricorum, oratorum, poetarum, phi-
losophorum item litteris mandata in-
genii monumenta ad posteritatis ad-
mirationem, memoriamque sempiter-
nam? Qui ita existimet, artem om-
nem, atque paratam industriad iu-
beat à quolibet exercitationis genere
exulare: nam ante Poetarum praes-
tantissimus floruit, quam Poetices,
quae saltem ad nos pervenerit, no-
men esset inventum: ante corda-
tiores viri permulti, beneque de re-

publica merentes *dictis*, ut Poeta
ait, *civium rexerunt animos, iras-*
que temperarunt, quam ullum seu
Rethorices, seu suasoriae artis sta-
ret praeceptum: ante denique ignari
etiam de plebe homines ex rebus
perceptis, ad id quod non percipie-
batur, adducti fuerunt, quam syllo-
gismi nomen esset auditum. Si igi-
tur nec Homeri Poetarum Principis
splendore, et gloria Philosophi deter-
rili sunt, quominus artis subsidi-
um Poetarum ingenio paratum esse
vellent; quis accuset eos, qui, post-
quam ratio vehementius vires exe-
ruit, atque exercuit suas, eius re-

gendaē artem aut amplificandam , aut
potius emendandam putent ? Prae-
cepta artis nulla effinguntur , quae
ex conditione materiae intelligi op-
portet , et usu illorum , qui in ea-
dem pertractanda sagaci dexteritate
versati sunt .

Et quamquam primis illis scien-
di magistris eximia quaedam laus ob-
id , quod egerunt , debeatur , non
tamen existimandi sunt nihil abs-
trusa in re posteris dispiciendum re-
liquisse . Praesertim cum in funda-
mento scientiae constituendo p imma-
ne quantum discrepent ! Hi sapien-
tem uno Iove minorem inducunt ,

numquam opinantem; illi assensum
 exhibent, nec nisi probabilia sectan-
 tur: p̄ sensus his perpetuō suspecti
 sunt, ac fallaces; illis numquam non
 veritatis adsertores. Quod adversan-
 tum sententiarum dissidium satis ar-
 guit illos, etsi in his, quae ad vi-
 tae usum pertinent, rectum, quod
 et vulgo accidit, interdum viderint,
 tamen ubi res ad vivum resecanda
 fuit, et cognitionum vis, ac natura
 constituenda, valde fuisse hallūcina-
 tos. Et dubitabimus, hac disquisi-
 tione, quāmodo commendamus,
 praetermissa, nihilo in scientiis fir-
 mum, ac immotum posse consistere?

{Tune mihi quidquam certi, atque
 explorati afferas, nisi cognitionum
 elementa sis perscrutatus; ni probe
 caleas quid mens in illis elaboran-
 dis sequatur, quidq efficiat, quan-
 tumque ad vim suam vehementius,
 ac latius exercendam, à quibusvis
 signis maxime verbis q adiuvetur?
 Haec, inquam, perdiligenter con-
 sideranda sunt, si in vero, simpli-
 ci, ac sincero consistere velimus nulla
 umquam vi, nequè arte deturban-
 dos. Sciendi initium à natura est,
 nulloque paratur ingenio, quod ex-
 sese profecto nihil valet, nisi ali-
 quid ante haberet percepti, quo

veluti fundamento initatur.

Perceptiones sunt, quas solas mens intuetur, ac volvit, et à quibus dum sui ipsius meminit, sequentur, nullo pacto potest divelli. Quocirca neque Scepticorum principes visa animi sustulere, quinimò iis, quibus per phantasiam cogebantur affici, ultro adsentiebantur. Quod si illis etiam auctoribus, quibus cetera erant dubia, et incerta, discimus nemini dubium esse se sentire dum sentit, certum pariter cuivis erit, cum hoc quoque sentiatur, se quae ante senserit non semel recordari. Hinc memoria; quae sub novis

advenientibus perceptionibus, priores adhuc retinens, aut iam sopitas excitans, efficit, ut in eis discernendis vis iudicandi appareat. Ea vero dum perceptiones internoscit, à proprio cuiuscumque, quod commune est omnibus secernens, veluti censem statuit perceptionum, atque idearum in varias classes distributum; atque ita sensim adolescentis vim sentiendi applicat ad ea, quae delectant, et ab illis, quae dolori sunt, prorsus avertit. En paucis accuratam facultatum mentis notitiam, et ipsam quasi materiem cogitationum nostrarum, totumque ra-

tionis opificium: Sentimus, memor-
 res sumus, iudicamus, disiderio affi-
 cimur, seu volumus, id nobis su-
 mus, in eo etiam splendescit quid-
 quid nobis sunt res, quascumque co-
 gitatione comprehendimus. Ad haec
 referenda sunt quaecumque mente
 animoque agitamus. Hic veritas, hic
 error considerandus est: hinc utrius-
 que discernendi regula depromenda
 fuit; non ex comparatione idearum
 cum rebus, quae nulla esse potest,
 quandoquidem non quimus sicut vul-
 tum alterius extra speculum, sic res
 extra ideas conspicari. Quod dum
 dicimus, minimè probamus amen-

tiam illorum, qui rerum, quae in
ipsis perceptionibus videntur, et ap-
parent, nullam posuerunt naturam,
aut saltem de ea dubitarunt. Perab-
surdum id est, longeque abest à ve-
ra ratione, quae ex contemplatione
perceptionum rerum extra se posita-
rum adeo fit certior, ut illas plus-
quam videat.

Et quamquam vestra A. O. be-
nignitate, et patientia abuti videar,
tamdiu his de rebus disserens, quae
ex reconditioni Philosophia petitae,
multum à communi usu abhorrent,
nec animum ulla alliciunt specie iu-
cunditatis, mihi dabitis hanc veni-

am, ut de hac quaestione, in quam modo incidimus, patet dicam, quod vel hoc uno exemplo clarius appearat id, quod efficere volumus; in dispiciendis, iudicandisque perceptionibus, eisdemque apte connectidis omnem cognitionem nostram, ipsamque adeo veritatem versari. Perridiculum sane est corpora sint, necne Philosophos non modo dubitasse, sed adeo subobscuram, et implexam suis cavillis hanc reddidisse quaestionem, ut plerique nodum potius resecant, quam solvant, confugientes ad instinctum quemdam, honestum hunc suae ignorantiae amic-

tum praetendentes. Prudentiores alii
attactui soli omne negotium credunt;
verum cum manus teneras, et flexi-
biles exigant, vereor ne rerum na-
turam mancis, et callosis homini-
bus invideant. Oedippus tandem in-
ventus est, qui, aenigmate explica-
to, nos restitueret in amissarum re-
rum possessionem. Mens suarum, in-
quit, perceptionum dumtaxat sibi
conscia, proprii corporis adhuc igna-
ra, nesciaque proinde imperii, quod
in illud exercet, tamen voluptate
perculta, aut dolore aliquo perten-
tata, membra agitat, ac motum eit;
et quamquam illum non bene no-

verit, suaviter tamen motu afficitur, eoque gaudens deinceps non iam imprudens, sed consulto motus commoditati inhians ipsum in membris nedium notis efficit. Quae dum moventur, quemadmodum eveniat necesse est, ad corpus aliquod offendunt motui delectabili, et concupito resistens. Sic demum ratio intelligit quidquam adesse suo iussui, et imperio repugnans, quod non potest non, ut re ipsa est, à natura, et vi sentiente alienum, ac diversum iudicare. Haec mens nosse debuit, haec secum agere, ut certior fieret exstares à vi sentiendi diversas, quae ip-

sam tamen afficerent, quibusque, de-
nuò observando, aliarum perceptio-
num tribuens causam, et efficienti-
am, corpora, et sensus ipsos effun-
geret, atque efformaret, uno verbo,
nosset.

Necui forte mirum videatur hu-
ius tam acutae, ac perdifficilis ratio-
cationis nullam durare memoriam,
consideret neminem esse, qui modo
recordetur quando, et qual arte cor-
porum figuras, magnitudines, ac dis-
tantias didicerit ex solo visu iudica-
re; neminem, qui vel ineunte ado-
lescentia meminerit summi studii,
magnaenque animi contentionis sub-

infantia adhibitae ad perdiscendam
tot vocum cum suis inflexionibus
variam significationem. Quod si ha-
rum rerum, quarum in omni vita
tam est frequens usus, memoria pe-
nitus obliterata est, cur in ea vige-
ant illae cogitationes parum explica-
tae, quae ubi rerum extrapositarum
notiliam animo fixerunt, quasi su-
um propositum assecutae, nulli iam
usui videbantur futurae? At fuerit
haec ratio diligentis Philosophorum
consideratione demum excogitata, non
sub primo perceptionum adventu ab
ipsa natura hausta, cum tamen ei con-
sentiat, nulla vi poterit infirmari. Si

itaque perceptiones suas pensilando,
 atque hinc inde circumspiciendo haec,
 et eius generis alia à summis illis ve-
 teribus Philosophis, et Dialecticis
 suissent animadversa, numquam tot
 inter ipsos lites inanes exarsissent, in
 quibus persaepe ratio utrosque fu-
 giebat quam longissime. Quem enim
 modo detineant, vel potius quis non
 rideat illorum de motu, ac de sensi-
 bus disputationes, perabsurdasque
 etiam inter se dissidentium senten-
 tias? Nempe ex notionibus argumen-
 tabantur, quas vulgus hominum pa-
 rum accuratè efformaverat, peius-
 que verbis expresserat: neque ad

idearum genesim respiciebant, unde solum hauritur veri notitia et regula. Quod si ad hanc omnes disputationes suas exegissent, tametsi ex observationum defectu impares fuissent prolatandis Philosophiae finibus, numquam tamen rationem à vera via detortis pervestigationibus se vocassent.

Inventio siquidem multarum rerum usum, summam prudentiam, sagacitatem, et industriam requirit, magnamque saepe laudis partem fortuna sibi vindicat. Erroris vero caveri ratio, etsi difficultate non caret, simplicior est: in eo namque *

omnis res versatur, ut numquam à perceptionibus, neque ab ideis ex apta earumdem connexione efformatis recedamus, tantumque ex ipsis indicemus, nihil compingentes ex simplicibus perceptionibus, neisdem invitis ac repugnantibus. Hanc rationem, etiam qui maximè improbare videntur, imprudentes in docendo sequuntur, ut qualemqualem platicorum suorum ideam audientium animis ingenerent. Quid enim sibi volunt tot illa exempla qualibet in quaestione è rebus singularibus petitæ, nisi mentem ad id revocare, unde omne cognitionis genus dicit exor-

dium, quodque est eorum, quae generalim dicuntur causa, et funda-
mentum? Quod igitur illi suis in
disputationibus, natura quasi co-
gente, faciunt, id nos certa ratione,
atque arte efficiendum contendimus,
neque hanc artem ad verba, sed ad
cogitationes nostras pertinere, in qui-
bus veritas, et scientia proprie con-
sideratur, non in verbis.

Verba non solum ad animi sen-
sa declaranda valent, sed eam quo-
que vim habent, ut ideis, et cogita-
tionibus quibuslibet, quamdam qua-
si naturam firmam, et stabilem im-
pertiantur, ne citò elabantur, atque

evanescant, et ut, cum opus fuérit,
denuo exsuscitentur, faciliusque pos-
sint tractari. Cum nihil aliud praes-
tent, facile intelligitur voces inanes
sine mente sonos futuras, nisi au-
dientes mente iam conceptam habue-
rint ideam, ad quam illae sunt re-
ferendae: frustā, qui oculorum usu
perpetuō caruerit, colorum p̄nomi-
na didicerit, quorum vim non ad-
sequatur. Loquendi usus, et facul-
tas plurimum iuvat vim cogitandi,
quam tamen non dicit, sed sequi-
tur, atque eius artificio cognito illa
perficitur, et arte brevi, et quam
accuralissima comprehenditur, quae

molestem Dialecticorum opem non
valde desideret, et requirat. Ille de-
mum vim, et usum sermonis tene-
bit. qui et elementa, ad quae pro-
posita notio revocanda sit, optimè
perspexerit, nec artem ignoret, et
quasi progressum cogitationum, quo
ex primis perceptionibus elicita fue-
rit, atque formata: is etiam siquid
quaque de te predicitur caleat, illi-
cò videbit se aut notitia ad iudican-
dum necessaria destitutum, aut si ea
adsit, invitus etiam recte iudicabit.
Haec philosophandi ratio paulò
est difficilior, sed qui eam arripue-
rit, iam per se sapere incipiet, et

sin minus nare sine cortice posit, sa-
piendi tamen magistro ita utetur, ut
eognitionem omnem, atque scientiam
potius se eo duce comparasse, quam
ab illo credat accepisse. Eo etiam
pacto veritas adolescentium animis
altius infigetur, et ipsi redentur ala-
criores ad litterarum studia capes-
senda: ad quamcumque rem homo
animum applicuerit suum, in ea
non modo excellere, sed quidquam
prosecuisse tacite gaudet, quo gaudio
velut inescatur, omnesque laboris
molestiae penitus absterguntur. Sed
si ex hac exercitatione delectatio nul-
la sequeretur, abunde illam pru-

dentioribus commendaret ipsius utilitas, ac prope necessitas. Nam praecepta sapientiae utcumque excipere, ac memoria tenere, possunt etiam homines rudes, nullaque doctrina exulti, qui saepe ab illa non in agendo solum, sed in dicendo satis apte conformantur, quemadmodum fabri, et opifices solent, qui et ipsi ex subtiliori Geometrarum consilio instrumenta permulta procedunt, quorum vim, et usum minime calent. Verum cum nobis ex munere, et officio iniunto id propositum esse debeat, ut odolescentulos instruendos suscipiamus, non

qui in Philosophia aliorum moni-
tis sine ratione nullar obsequantur,
sed tales, qui eorum, quae dicun-
tur, causam, et rationem examinent,
et diuident, quoniamque viam,
qua id assequi possint ex indele cog-
nitionum nostrarum, ipsoque natu-
rali cognoscendi artificio videamur
demostrasse: liceat nobis sine cuius-
quam iniuria, et offensione optare, ut
ineptis nugis amandatis ea aliquan-
do Logice obtineat, quae cum per
omnes Philosophiae partes manet,
ac perfluat, ei conciliet sanitatem, et
vigorem non exanimum, quo opus
suum nobis ministrantibus perse-

qualur maximo cum adolescentium
optimorum, universaeque hominum
societatis commodo, et ad clarissi-
mum quemdam, et honestissimum,
qui illi perpetuus, ac sempiternus
sit, huius nostrae Academiae splen-
dorem.

Dixi.

se bestigunt. et concilij summatione de
censu Philosophis bates museis
de Logice optinest' dñe. chm. pet.
imperio huius magnitudinis ex aliud an-
dram iurium et officiis obiret ut
quibusque: hisq; napis sive continet.

SALMANTICAE:

Apud Ioann. Vallegera, Typ. Univers.